

www.e-rara.ch

Joh. Ludovici Fabricicii Opera omnia

Fabricius, Johann Ludwig

Tiguri, a. 1698

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13320>

Meditationis de viis dei, an & quousque sint similes Viis hominum pars quarta.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

da sint illa omnia quæ contra omnimodam Dei & Creatarum Rerum convenientiam nuper attulimus, & quàm ficulnea sint quæcunque pag. XXXVIII. & XXXIX. inde deduximus.

MEDITATIONIS

DE

VIIS DEI,

An & quousque sint similes Viis hominum

PARS QUARTA,

I. **Q**Uamvis, mi Philaethe, ex iis quæ nuper disceptavimus evidentissimè pateat, nihil quicquam roboris inesse dubitationibus illis, quas contra *Convenientiam inter Creatorem & Res Creatas* movere quisquam posset; hanc tamen asseverare nondum licet, donec propriis rationibus fuerit adstructa. Neque enim accurata scientiæ methodus permittit, ut ubi sententiam aliquam falsitatis damnaveris, sine ulteriori probatione contrariam protinus ceu veram assumes, cum utraque vel falsa vel saltem incerta esse possit. Unde sæpenumero accidere solet, ut Disputantium uterque, dum alter alterum refellit, veritati quidem patrocinetur; dum verò propriam quisque sententiam exponit, vel errorem, vel veritatem quidem sed imbellibus argumentis, defendat. *Veritas* non nisi *Una* est, sed *varia* sunt *Falsi* diverticula, quorum etiamsi aliquod evitaveris, non inde tamen, rectam viam Te invenisse certus esse potes.

II. Meministi, cum nuper in vicino nemore obambularem, in viam nos incidisse tribus semitis dissectam, quarum cum Tu dextram, Ego sinistram peterem, Tu meam quam ingrediebar pertendebas esse erroneam, Ego asseverabam de Tua. Tu rectè meam, Ego Tuam erroneas esse iudicabamus: uterque tamen errabat, dum quam quisque elegerat viam sequebatur, relicta tertiâ quæ sola ad urbem ducit. Illam tertius quidem socius noster invenit, sed casu potius quàm consilio, hæsitans & quò pedes ipsum ferrent, anxius. Idem in mentis *Peripato* accidere solet: alios sæpe videmus à recta veritatis linea ad dextram aberrasse; alii nos ad sinistram exorbitasse animadvertunt. Nos illos, illi nos erroris arguunt. Utrique rectè; sed & utrique male, dum neque illi neque nos rectam viam tenemus, quam ipsam si forte ingrederemur, non sine erroris formidine calcaremus, cum in eam non scientiæ sed

fortuna atque vacillantis opinionis beneficio fuerimus delati. Non igitur sufficit, quod circa illam quam *de Dei & Creaturarum cognatione* meditandam suscepimus doctrinam, errorem aliquem evitavimus, necesse est quænam ipsa sit veritas dispiciamus. Neque officio nostro fatis fiet, si probabilibus tantum indiciis eam investigemus. Ut certi ejus & litium securi simus possessores, clarè nobis est demonstranda. Quam operam eò accuratiùs impendere debemus, quò diligentius nuper contrarias dubitationes congestimus. Agedum igitur Mea mens: præjudicatas opiniones exuisti. Tranquilla es & æquilibris. Nunc igitur meditare, & *an aliqua inter Creatorem & Res Creatas*, (quarum & ipsa pars es non ignobilis,) *demonstrari possit analogia* inquire.

III. Jam ergo similitudinem inter Deum & Te investigatura, *Deum cogitas*. At verò dum *Deum cogitas*, nonne *Aliquid cogitas*; certè enim dum *Deum cogitas*, non *nihil cogitas*. Et tu quæ cogitas, nonne & ipsa *Aliquid es*? *Qui* enim cogitares, si *nihil* esses? Ergò jam id quod cogitas & tu quæ cogitas, *aliquid* estis. Nunquid igitur hoc ipsum vobis est commune? Neque enim illud *aliquid* est merum nomen, sine rei existentis significatione. Proin, *Deus est Res existens cogitata*, Tuque *Res existens cogitans*. Et Ipse quem cogitas, facit ut cogites; jam ergò & Ille agit & Tu agis, adeoque & *Ipsi & Tibi actio* competit.

IV. Nunc porrò cogitas, Te paulo ante cogitasse, Ergò jam *aliquandiu extitisti*, sive ut cum scholis loquar *duravisti*; nam & *antea cogitasti & nunc cogitas*; ubi autem est *ante & nunc*, ibi est duratio. Sed & *Deus quem cogitasti, dum cogitares erat, & nunc dum cogitas, est*. Ergo & ille *manet*. Præterea novit ille Te cogitare, & Ipsa hoc nosti; neque enim nescis quid cogites, neque ipse nescit quod Tu scis. Ergo & Ille novit & Tu nosti, & sic utrique convenit *cognitio*. *Visne* ulterius meditari? Jam jam ulterius voluisti, & prout voluisti cogitasti. Ergo & *Deus cogitari voluit*, alioquin id tibi non licuisset. Ille igitur voluit & Tu voluisti, adeoque *voluntas* utrique est attribuenda. Et idem cogitasti & idem cogitare voluisti, quod Ille cogitavit & ut cogitaretur voluit, Ergo & inter Illius Tuamque cogitationem atque voluntatem eo etiam nomine intercedit conformitas. Sic quæ *potes*, inde *potes*, quòd ille qui omnia potest, tibi *potè* dedit, ut non solum *Ipsi* verum etiam *Tibi Potentia* rectè adscribatur.

V. Idem alià viâ meditare, mea Mens. Creator cùm ex nihilo Te evocaret, ipse existebat; Tu non existebas; Ille verò te existere fecit. Nunquid igitur eo ipso quo existere cœpisti, cœpisti habere aliquid *Ipsi* analogum, cùm antea, quando nihil eras, nihil habebas? Porrò cùm Te crearet, sciebat certè qualem Te crearet, & nunc qualem Te creaverit, novit. Tui igitur & habebat & habet *Ideam*; at inter Tui *Ideam* & Te nunquid aliquid intercedere debet analogiæ? Itidem cùm Te crearet, creavit Te propter semetipsum. Neque

que enim Primum Principium ac Summum Bonum intendere potest finem ultimo ac summo fine minorem. At illud quod propter aliquid est, nonne quodammodo respondere debet illi propter quod est, præsertim si ad illud demonstrandum & celebrandum sit ordinatum? Deum collaudatura, certè ipsum apprehendere debes: què enim collaudares, quem nullo modo cognoscis: eo autem ipso quo cognoscis, Ejus Ideam formas, inter quam & Deum si nulla sit convenientia, jam non Deum cognovisti neque Deum celebraisti, sed quidvis aliud. Sic ad quod opus creata es, ad illud nulla Tibi facultas concessa esset: quod quàm absurdum sit, satis clarè perspicias.

VI. Nunquid præstat sapientem esse & omnibus affluere Bonis magnâque potentiâ valere, quàm rerum omnium ignarum, insipidum, egentem, prostratum jacere? Ita sane. Jam attende. Quid hoc tibi vult, PRÆSTAT? Nunquid idem significat, quòd *optabilius, melius; magis perfectum*? At quid dici potest magis perfectum, nisi quod ad summum perfectum proprius accedit? summum autem perfectum est DEUS. In rerum igitur Creatarum Universalitate, sunt quæ majorem, sunt quæ minorem cum Deo agnationem habent: si majorem & minorem, certè aliquam. In nihilo enim nulli sunt gradus. Hinc perfectissima & excellentissima quæque in suo genere, *Divina* cognominamus. Hinc Divinus Homerus; Divinus Plato: Divi Imperatores: Hinc Danielis sapientia Divina sapientia, & Judices atque Principes Dii dicuntur: & omnino quicquid alios præcellit, à Deo denominationem habet, propterea quòd majori cum ipso gaudet analogiâ.

VII. Ex vultu Tuo colligo, mi Philaethe, Te iis quæ hæcenus diximus, quidem astipulari, sed illa tibi forte videri levioris momenti, quibus demonstrandis non tantum operæ erat infumendum. Dices te facile concedere aliquam ratione *Existentiæ, Durationis, Intellectus, Voluntatis, Potentiæ, Actionis* aliarumque istiusmodi perfectionum inter Deum & Homines convenientiam, neque ab ipso *Malmesburiensi* eam negari: verùm potissimam disceptationem de *Perfectionibus* quas *morales* dicimus, esse instituendam; de illarum enim analogia passim dubitatur.

VIII. Fateor equidem, nos ea quæ cuius paululùm attento per se clara videri possent, aliquantò fufius demonstrasse, sed non alio fine quàm ut illud ipsum quod nunc à nobis probari postulas, firmitus astrueremus. Nimirum quæ hæcenus explicavimus, immotæ veritatis esse concedis. Hoc igitur præmunito, quæro ex Te, cum ratione *Metaphysicorum & Physicorum quorundam actuum* aliqua inter Deum & Nos intercedat analogia, quo fundamento de *moralibus perfectionibus* eam negare liceat? Utrarumque enim eadem videtur conditio, neque disparem rationem ullo unquam artificio excogitari posse existimo. Verùm abundantius longè Tibi satisfaciam hæc demonstratione; Per se certum & evidens est, *Voluntatis perfectionem consistere in sua actio-*

actione, actio enim est facultatis finis: Iterum, per se certum & evidens est, actionem tum demum censi perfectam, quando ex optimè constituto principio, expeditissimo modo, in nobilissimum objectum tendit. Unde sequitur amorem, qui ex animo summi Pulchri ideâ plenissimo, directo & ferventissimo impulsu, in excellentissimum Bonum fertur, ultimam esse Voluntatis nostræ perfectionem. Ultima autem Voluntatis quæ à ratione venit perfectio, summa *moralis perfectio* dicitur. Jam igitur cum ex thesi IV. ratione *Voluntatis consideratæ* ceu principium, aliqua inter Deum & nos intercedat analogia: illa autem analogia ex thesi VI. eò major sit, quò major est rerum perfectio; ex illis tandem quæ hac thesi demonstravimus, Perfectio moralis omni perfectioni physicæ antecellat; sequitur necessariò; illam inter Deum & Hominem convenientiam, quæ in *perfectionibus moralibus* fundata est, omnium aliarum maximam atque perfectissimam esse. Sic cum Justitia sit Princeps animi nostri Virtus, adeoque ex thesi VI. aliquid ipso animo divinius; si propter *Voluntatis* communionem ex thesi IV. Creatori quodammodo similes sumus, quòd strictior ex thesi VI. illa erit cognatio, quæ in *justitiæ* participatione consistit?

IX. Non video quid adversus luculentam adeò demonstrationem excipi possit, nisi forte dicas; *Justitiam & reliquas morales virtutes ita naturâ suâ esse comparatas, ut Hominem quâ talem per se non reddant perfectiorem, neque mores istos dici BONOS, nisi quatenus eorum beneficio Civilis societas contrahitur atque conservatur.* Id quod si ita se habeat, manifestum est istiusmodi perfectionum ne umbram quidem Deo convenire, cum ipse in se sibi sufficiens, in civili societate non sit constitutus. Ad cujus exceptionis illustrationem etiam hoc adjici posset, quòd illorum *Habituum excellentia in exacta legum obedientia consistat*; absurdum autem sit, obsequium istiusmodi Summo Numini affingere; unde iterum relinqueretur, Deum nullam admittere in se moralium Virtutum rationem. Verùm istæ argutationes multis nominibus infirmæ sunt. Primò, enim utrumque illud effatum, quo isthæ exceptio nititur, à veritate immane quantum abhorrere videtur. Virtutes non nisi habita ratione Societatis Civilis tales esse, & Probritatem omnem in sola Obedientia consistere, certè mihi persuadere non possum. Non illud, quia (ut infinita alia omittam) Homo per se consideratus, naturæ facultatum suarum convenientem perfectionem & appetit & acquirere tenetur, etiam si solus in vacuo hoc orbe obambulans concipiatur. Non hoc; quia ipsos legislatores & quas sanciant leges *Bona* esse oportet: ridiculum autem sit, *Bonitatem* quæ in imperio consistit, ab Obedientia accersere. Verùm hæc præfiscine; aliàs enim hac de re plura meditandi occasionem arripiemus. Præterea, respondere possem Deum non solitarium vivere, siquidem in æterna secum ipso societate vivit. Quam propositionem tum ex naturali ratione, quæ ab Infinita Deitatis plenitudine, perfectionem omnem in se continente,

peti

peti potest, tum ex Sacro Sanctæ Trinitatis mysterio fusiùs probatam redderemus, si hujus instituti esset, illa omnia persequi. Tranquillissima autem illa atque Beatissima Societas sine immoto Justitiæ rigore concipi nequit. Est igitur Deus ab aeterno Justus, ipsâ illâ Justitiæ significatione, quâ Virtus illa *Unicuique Suum* tribuere dicitur. Certè id vel ex eo patet, quòd sibi ipsi amorem denegare sine iniustitia non potest. Est enim Ipse *Summum Bonum*, Ergò *Summum amabile*, Ergò, summus ipsi debetur *amor*, Ergò si seipsum summè amandum novit, à seipso summè amando non potest abstinere, quin sibi denegat quod sibi debet: Sibi autem denegare quod sibi debetur, est proprio sensu *Iniustum* esse. Ergò, seipsum amando, propriè loquendo Justus est.

X. Sed ne hæc quidem quamvis clara & certa, importuniùs urgebo Fingam binas Tuas supra notatas hypotheses utut apertè falsitatis condemnatas, veras esse. Ne sic quidem, quæ ipsis innitur exceptio, quicquam promoveat. Quòd si enim principiis Tuis consentanea loqui velis, hoc saltem mihi concedas oportet, *Justitiam ubique dari post pactum*. Porro etiamsi forte neges, pactum strictè dictum inter Deum & Creatas Mentis intercedere posse, id tamen non negabis, Deum ex liberalitate sua nobis aliquid promississe; vel si hoc ipsum neges (quod suo loco vindicabimus) saltem hoc obtinebo, ut promissiones à Deo nobis fieri posse fatearis. Nunc igitur quæro, si Deus aliquid nobis pollicetur, nunquid illud ipsi præstandum, non quidem ex violenta aut extrinseca obligatione, sed virtute tamen immotæ atque invariata voluntatis. Ergò saltem ex hypothesi promissionis, Deum propriè Justum dici fatendum est. Ex quo ipso ulterius concludo, Justitiam propriè dictam Deo Naturalem esse. Hæc enim oratio; *Si Deus quid promittat, datam suam fidem violare non potest*, sine pacti hypothesi & citra omnem actualem promissionem vera est. At quicquid hoc modo verum est, æterna atque absoluta necessitate verum est, nisi quod est de *Natura Dei*; Veritas igitur illa est de *Natura Dei*: At veritas illa, ex propria Tua sententia, est Justitiæ propriè dictæ fundamentum. Ergo justitiæ propriæ dictæ fundamentum est Deo Naturale. Magnorum Principum Potentiam Divinitatis Symbolum esse concedis: at quanto illustriùs Ejus effigies in *Prudentia atque Justitia* elucescit, siquidem illarum beneficio Potentia absolvitur atque consummatur, & à *Cæco impetu* & *bruto robore* discernitur? Cæterum, ingenuè quidem fateor, Deum nullis externâ auctoritate Ipsi præscriptis legibus obedire; Est tamen Ipse sibi Lex; non enim aliud agere potest quàm quod Infinitæ suæ Perfectioni est consentaneum. Atque ita analogiam inter Creatorem & Creatas Mentis, etiam ratione *moralium Virtutum*, abunde demonstratam esse puto. Ad cujus certitudinem accedere nihil potest, præterquam ipsius Creatoris testimonium, luculentum sanè & in Sacris paginis sæpiùs iteratum.

XI. Principio statim, se Homines ad *imaginem suam atque similitudinem*

conditurum esse promittit, Genes. I. 27. Quam imaginem in singulari aliqua & nobis præ aliis animantibus propria adeoque morali convenientia consistere, multis rationibus constat. Idem gentium Apostolus Rom. XII. 2. Ephes. IV. 24. Col. III. 10. aperte docet, ut infinita alia divinarum literarum testimonia prætermittamus. Certè hanc *convenientiam* qui negat, eadem operâ omnem sacri Codicis usum & religionem tollit. Ubiunque enim Deus de Seipso loquitur, analogiam cum Creatis rebus ceu fundamentum quoddam præstruit, ex quo & Sacri Scriptores rationes suas petunt. Sine eâ, quam ineptus obsecro foret Abrahami cum Deo dialogus, qui Gen. XVIII. legitur, ubi Sanctus ille Vir ex *Justitia Dei* eodem modo argumentatur, quo nos ad Judicem Hominem argumentaremur? Quàm vana illa quæ Psalmo IX. 9. Regius Propheta canit? Quàm absurda quæ ubique in Sacris paginis occurrunt ex Dei Natura ad officium nostrum petita argumenta? Honorandus ille est, quia *potentissimus*. Timendus quia *justissimus*; Amandus, quia *Optimus*: In eum *sperandum*, quia in promissis *fidelis*; in eum credendum, quia in omnibus *Verax* est. Nunquid ridicula sunt illa ratiocinia, si per *Justitiam, Bonitatem & Veritatem* Dei nihil intelligatur Justitiæ, Bonitati, Veritati Creaturæ analogum? Quàm ab omni sensu alienum esset illud Christi præceptum, de exprimendis Dei perfectionibus, tanquam Virtutum & actionum *idea atque exemplari*, Matth. V. 48. Quàm inanis illa Pauli exhortatio Ephes. V. 1. ut Deum, amantissimorum Filiorum instar, ceu Patrem nostrum *imitemur*? Quòd si enim nulla Ejus nobiscum sit analogia, quo pacto Ipsum imitari possumus? Quàm vanum istud Christianorum privilegium quod 2. Cor. III. 18. jaçtatur? Quàm absorum illud quod ex Lev. XI. 45. & XIX. 2. & XX. 7. de Sanctitate nostra ad Dei Sanctitatem conformanda inculcat Petrus, I. epist. cap. I. 15. & 16? Quàm ludicra illa quæ idem Apostolus 2. epist. cap. I. 4. & Johannes in tota sua priori epistola de *Communione nostra cum Dei Natura* prædicat? Denique nunquid ea quæ nuper nobis laudatus *Dionysius* & Veteres Ecclesiæ Doctores de nostra juxta Deum conformatione tradunt, omnia inficeta & insipida sunt, nisi aliquam Creaturarum rerum, Hominum imprimis, cum Deo statuamus *analogiam*, tanquam præcipuum omnis religionis, fidei ac spei nostræ fundamentum.

MEDI-